

dicentes, ut deinceps nullus archiepiscopus vel episcopus dux vel marchio comes aut vicecomes sculdascio vel publice rei exactor seu quelibet regni nostri magna parvaque persona illos molestare aut inquietare seu pignorare in rebus eorum mobilibus et immobilibus vel de eorum libellariis sive colonis ac residentibus nec non ascriptitiis aliquam violentiam inferre — eorumque coloni censum et redditum si non dederint aut per aliquam virtutem¹ vel ingenium renuerint, eis in duplum restituat² — vel aliquis in eorum domibus mansionaticum accipere presumptive audeat nec aliquam paratam seu quamlibet publicam functionem ab eis aut exenia exigat; sed liceat eis eorumque successoribus in perpetuum sub nostri mundeburdii tuitione cum suis omnibus iuste et legaliter pertinentibus quiete et pacifice vivere, omnium hominum contradictione vel molestatione remota, ut pro regni nostri statu nostraque incolomitate deum exorare secure ac libere queant et spetialiter pro nobis ac parentibus ac pro regibus nostris successoribus per annos singulos ducentas canere missas. Si quis igitur huius nostre defensionis mundeburdi temerarius corruptor extiterit, sciat se compositurum probati auri libras centum, medietatem camere nostre et medietatem prelibatis canonicis eorumque posteris. Quod ut verius credatur et inviolabiliter ab omnibus observetur, hoc mundeburdium inde conscriptum anuli nostri impressione signari iussimus.

1) 'ūtutem' B. 2) B.
